Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26088
Copyright: Admont, Benediktinerstift



164

quod deo fideliter seruierunt. & furorem tiranni contempserunt.

Dom. xxiiii. Sermo. B. Aug. de daniele & susanna.

Quotiens cumque hoc per verso sancto contra laudabiles uiros multiformes tenduntur insidie. vel diuerse calumpniarum emerserint cause. quid homo pestilens cogitet quid diabolus machinetur non metuet iustus quia cum ipso est xpc. Vel ligat quod miles in prelio constitutus officia semper exercere uirtutum. Vnum quod de duobus amplectitur. aut patefactis insidiis eius innocentia in populo clarescit. aut persequentibus inimicis preuentus cum conditione mortis excesserit. molestiis secularibus liberatus portum securitatis intrabit. Daniel propheta nec in lacu proiectus leonum timore perculsus expauit. sed inter ista bestiarum ora consistens dominum tota mente placauit & tyrannicas dispositiones illesus euasit. Zacharias pontifex magnus pro cultu dei pro legibus sacris pro censura in templo sacerdotali rebellem increpans populum mortem constanter accepit. & detestabilis acies iudeorum eius cruore pauimentum infecit. Zacharias martyr triumphat. & daniel confessor exultat. Vnus moritur & triumphat. alter euadit & regnat. Sed nec femineus sexus suis fraudatur exemplis. quia pudicicie ornatum salubriter reseruauit. Susanna illustris decus pudicicie uicit impudentiam iudicum. petulantiam seniorum compressit audacem. ne castitas in ea pateretur iniuriam. Stabat susanna in iudicio falsorum mendacibus obpressa testimoniis dampnatorum. stabat non tanquam rea. sed pro castitate firmiter moritura. Ibat quod pudicicia ad supplicium